

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS
Romanae Rotae Tribunal
SENTENTIA DEFINITIVA
Nullitas matrimonii ob defectum formae canonicae
(Omissis)

Facti Species

1 - Marcus, anno 1954 natus in vico B., commorans in municipio A., operarius, anno 1980 in basilica Z. intra fines paroeciae Y. matrimonium iniit cum Lucia in civitate v.d. A. anno 1957 orta, ibique domicilium retinente, magistra.

Ipsi anno 1975 fortuito sibi obviam venerant, ac, postquam puellae parentum haesitationes victae sunt, relationem sponsaliciam instauraverant, quae per quattuor annos ducta est, nonnumquam dissensionibus perturbata.

Puella, una vice tam irata facta est ut anulum sponsalicium proiceret.

Iuxta virum, domina Lucia nuptias solummodo ob matris strictas sollicitationes accepit.

Quadraginta diebus tantum elapsis a matrimonii celebratione, mulier domum iugalem deseruit atque, non obstantibus conatibus reconciliationis a convento eiusque propinquis peractis, numquam cohabitatio iugalis restituta est.

Post septem menses vir causam civilem instituit pro separatione obtinenda.

Anno sequente, 1981, dominus Marcus coram Tribunali X. supplicem libellum porrexit, expostulans declarationem nullitatis sui matrimonii «per i seguenti capi di nullità [iuxta CIC 1917]: 1°) a norma del can. 1087 §1 del C.D.C.: “ob vim vel metum mulieri conventae incussum”; 2°) a norma del can. 1086 §2 in relazione al can. 1013 § 2: “ob exclusum ab eadem conventa bonum Sacramenti”; 3°) a norma di can. 1086 § 2 in relazione al can. 1013 §1: “ob exclusum ab eadem conventa bonum prolis”» (Summ. 8-9).

Muliere conventa negante se ad matrimonium coactam esse atque bona sacramenti et prolis exclusivisse (cf. Summ. 16), dubium hac sub forma statutum est: «Se consti o no della nullita del matrimonio, in questo caso, per:

1) Violenza o timore incussa (sic!) alla donna a norma del can. 1087/1. 2) Per esclusione dell'indissolubilita nella medesima convenuta a norma del can. 1013/2. 3) Per esclusione della prole nella convenuta a norma del can. 1013/1» (Summ.16).

Partibus auditis, tredecim testibus excussis, ex quibus aliqui ex officio ad Tribunal vocati sunt, altero vadimonio ab actore reddito, iudices primi gradus negative ad omnia responderunt.

Anno 1985 vir relationem cum Gloria intexuit, ex qua puer natus est; anno 1987 cum eadem muliere unionem civilem contraxit, et deinde alii duo filii orti sunt.

Actor ad N.A.T. appellavit, sed, cum per annum et ultra nullus actus processualis positus esset, anno 1988 R.P.D. Ponens causam peremptam declaravit.

Ast anno 1999 vir reassumptionem causae petivit; Turno constituto, R.P.D. Ponens decrevit causam reassumendam esse.

Dubium hac sub formula concordatum est: «An constet de nullitate matrimonii, in casu, 1) Ob vim vel metum mulieri conventae incussum; 2) Ob exclusa bona sacramenti et prolis ex parte eiusdem mulieris conventae» (Summ. 137). Actor denuo auditus est, sed mulier conventa, quamvis legitime citata, Tribunal deseruit.

Postquam testis Rev. C., qui celebrationi matrimonii astiterat, novum vadimonium reddidit, dubium de valida celebratione nuptiarum ortum est; quam ob rem, Cl.mo Patrono ex officio instante, per Decretum Turni anno 2001, novum dubium, tamquam in prima instantia iudicandum, concordatum est, ac proinde nova forma dubii sic statuta est: «1) An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob metum mulieri conventae incussum, tamquam in secunda instantia; 2) An constet de matrimoni nullitate, in casu, ob exclusa bona sacramenti et prolis ex parte eiusdem conventae, tamquam in secunda instantia; 3) An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob defectum formae canonicae, tamquam in prima instantia» (Summ. 160).

Documenta praenuptialia, a R.P.D. Ponente expetita, Curia D. cum sollertia produxit.

Causa moras passa est ob neglegentiam Cl.mi Patroni ex officio partis actricis, qui tandem suo muneri renunciavit, ac, novo Patrono ab Exc.mo Nostro Decano designato et deinde contradictorio rite peracto, nunc causa definienda est.

In iure

DE METU MATRIMONIUM IRRITANTE

2 - Consensus, qui «Matrimonium facit» (can. 1081, CIC 1917; eadem verba adsunt in novo canone

1057 §1), debet esse actus plane ac vere humanus; conscius ac liber proinde sit oportet.

Nullatenus humanus esse potest actus sub vi absoluta vel physica elicitus: «Afficere nequit nisi actum externum, et verificatur, quando hic actus ponitur sub coactione physica, cui resistere non possumus, animo prorsus reluctante aut absque rationis usu. Iam vero talis actus nullum habet moralem iuridicum valorem [...] Proinde matrimonium sub vi initum, est nullum defectu consensus» (P. CARD. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, ed. nova ad mentem CIC, vol. II, Typis Poliglottis Vaticanis 1932, 48-49, n. 832).

In canone 103 CIC 1917 “metus” contraponitur “vi” seu violentiae absolutae quae non afficit nisi actum externum corporalem cuique «resisti non potest» et «omnem adimit agendi facultatem» (can. 2205 §1) ita ut matrimonium ex tali vi celebratum sit irritum ob defectum totalem consensus: «Tolli [...] potest consensus vi absoluta, quae est maioris rei impetus cui resisti non potest, ut si, Titio prorsus dissentiente, eius caput per violentiam in signum consensus inclinatur. Haec inclinatio, actio hominis quidem mere externa, dicenda non est actio humana procedens ex voluntate deliberata; consequenter, nil conferente vim passo, haec coactio consensum prorsus excludit. Deficiente vero consensu, matrimonium non existit» (coram JULLIEN, decisio diei 11 maii 1935, n. 2, in *R.R.Dec.*, vol. XXVII, dec. XXXV, pp. 299-300).

Consensus defectus habetur etiam per vim psychicam, quippe quae libertatem internam auferat, nubentem impellendo ad unum, scilicet ad matrimonium recipiendum, quin discretio sufficiens ac necessaria habeatur pro iudicio autonomo efformando.

In can. 1087 CIC 1917 autem “vis et metus” coniunctim sumuntur locutione quae significat vim quae per metum operatur, seu metum qui procedit, uti effectus, a vi.

Libertas nupturientis enim vulneratur, cum facultas eligendi per timorem cuiusdam mali imminentis ab agente libero incussi integra haud maneat; in huiusmodi factispecie vis est moralis aut conditionalis, «quae accipi potest tamquam vis praepotens liberae voluntatis exercita ad determinandas facultates animi seu psychologicas subiecti patientis eum in finem ut iste eliciat atque ideo manifestet aliquem voluntatis actum» (coram POMPEDDA, decisio diei 27 maii 1970, n. 2, in *R.R.Dec.*, vol. LXII, p. 549); et huiusmodi vis in mente patientis efficit metum.

Exstant coram se duae voluntates, una fortis et altera debilior, quae cogitur ut suo consilio abrenuntiet; vis in mente patiente imminuit deliberationem atque libertatem eiusdem movet ad eligendum, quamvis cum sufficienti consensu naturali, matrimonium, quod secus non eligeret, ut medium vitandi coactionem.

Fundamentum Legis canonicae de vi et metu est iniuria gravis tum erga dignitatem personalem nubentis tum erga dignitatem foederis iugalis, quia libertas in statu vitae eligendo laeditur (cf. can. 219 CIC 1983).

Metus, qui definitur uti animi commotio vel trepidatio, cuius causa est praepotens vis moralis vel conditionalis, ut matrimonium irritet, certis qualitatibus indutus esse debet, scilicet extrinsecitate, iniustitia, gravitate, indeclinabilitate (can. 1087 CIC 1917).

Relatio inter metum ac consensum a Legislatore expressis verbis statuitur: «Invalidum [...] est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrin-

seco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium» (can. 1087 CIC 1917); locutio “ob vim vel metum” eadem adest in novo canone 1103.

Ad consensum irritum reddendum necesse quidem est ut in alterutrum contrahentem inferatur vis conditionalis, ast hoc non sufficit, cum metus esse debeat tamquam causa motiva foederis iugalis vel requiratur relatio causalitatis inter coactionem ac consensum, ideoque excluditur casus connubii contracti “cum metu” tantum: «Che nella celebrazione del matrimonio intervenga a carico di almeno uno dei contraenti vera violenza condizionale [...] è necessario ma non sufficiente, perché il matrimonio ne sia reso nullo: occorre ancora [...] l'esistenza nel caso concreto di un rapporto di causalità tra la coazione e il consenso. Non basta cioè una mera concomitanza tra violenza e matrimonio, ma si richiede che questo stia a quella come effetto e causa.» (G. DOSSETTI, *La violenza nel matrimonio in Diritto Canonico*, Milano 1943, rist. anastatica 1998, 502). Oportet ergo ut electio matrimonii sit realis effectus, non mera occasio, metus inlati.

Metus, qui definitur uti animi commotio vel trepidatio, est semper status psychologicus internus; ast can. 1087 Codicis piani-benedictini nullatenus vertit in metum “ab intrinseco”, qui infertur a quadam causa patienti interna, prout habentur e.g. passio, vel phantasia, vel remorsus conscientiae, vel externa, sed non libera, uti sunt belua, tempestas, incendium.

Metus matrimonium dirimens debet esse “ab extrinseco”, scilicet incussus libere ab agente qui alius sit ac subiectum metum patiens.

Iurisprudencia tenet sufficere meram metus suspicionem: «“Matrimonium est nullum sive consensus

deficiat propter minas et violentias, sive propter suspicionem tantum indignationis parentum” [Coscus, De separat. tori, lib. 3, cap. 4, n. 87]. Huius principii rationem affert Sacra Rota coram Ludovisio, dec. 374, n. 18-19. “Iusta metus suspicio pro metu sufficit ex eo quod in matrimonio animus debet esse liber, non solum a compulsione, sed etiam a timore compulsionis”» (coram PRIOR, decisio diei 1 maii 1912, n. 6, in *R.R.Dec.*, vol. IV, dec. XVIII, p. 217).

Metus insuper praeditus esse debet ea gravitate quae patientis animum adeo perturbet ut eiusdem libertas valde imminuatur ac nubens matrimonium, quod recusat, accipiat uti medium ad vitandum malum sibi imminens.

Adsunt quidem mala absolute gravia, quae personam constantem, quae scilicet normalem gradum firmitatis assecuta est (cf. S. Th., Suppl., q. 47, a. 2) perturbare valent; alia vero mala relative seu subiective gravia sunt, scilicet attentis patientis metum indole, aetate, sexu, adiunctis familiae ac loci: «malum instans vel futurum debet esse grave pro illa persona, ita nempe ut haec persona facile illud sustinere nequeat. Sunt nonnulla mala, quae gravia ab ipso iure habentur absolute seu pro omnibus hominibus [...] Alia mala maioris momenti pro aliquibus personis gravia possunt esse, pro aliis levia [...] Prudens iudex in singulis casibus videbit, attentis omnibus circumstantiis, utram illud malum pro illa persona grave sit, an leve» (P. CARD. GASPARRI, *Tractatus canonicus de matrimonio*, ed. nova ad mentem CIC, vol. II, Typis Poliglottis Vaticanis 1932, 55-56, n. 847).

Tertia conditio, quam metus iuxta vetus ius, sub cuius regimine matrimonium in casu contractum est, induere debebat, erat iniustitia, quae tangere poterat

substantiam, cum malum comminatum in seipso laesivum habetur, e.g. falsa accusatio de stupro peracto, vel modum, si malum inflictum vel comminatum extra fines recti exercitii potestatis aut officii progreditur: «Metus nuptias non irritat nisi, praeterquam gravis, sit simul iniustus: iniustitia autem habetur sive ratione substantiae (quum nempe metu exigitur quod iure non debetur), sive ratione modi (quum modo iniusto: e.gr., percussionibus, minis, saevitiis, exigitur quod iure debetur), sive ratione finis (quum ius exercetur ad obtinendum quod iure non debetur [...]), sive ratione cuiuscumque circumstantiae, qua legitima norma obiectiva, divina vel humana, laedatur» (coram STAFFA, decisio diei 9 augusti 1951, n. 2, in *R.R.Dec.*, vol. XLIII, dec. LXXXIX, p. 618).

Attamen gravis metus semper iniustus patet sive erga dignitatem personalem nubentis, sive erga dignitatem connubii, quippe quod uti communitas amoris ex libertate oriri debeat.

Attento Concilii Vaticani II summo Magisterio (cf. GS 26, 29, ac praesertim 52, in quo explicite quoad matrimonii electionem edicitur: «Parentum vel tutorum est se iunioribus, in fundanda familia, prudenti consilio, ab eis libenter audiendo, duces praebere, caventes tamen ne eos coactione directa vel indirecta ad matrimonium ineundum aut ad electionem compartis adigant»), novus canon 1103 iniustitiam haud exigit pro metu matrimonium irritante.

Tandem alia conditio, quam metus induere debet ut consensum inefficacem reddat, est indeclinabilitas, quae significat impossibilitatem moralem vitandi malum quod minitatur nisi per matrimonii electionem; ambo canones, tum vetus tum novus, statuunt hisce verbis: «a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium».

Post promulgationem M.P. *Crebrae allatae*, in quo pro iure matrimoniali orientali statuebatur metum indirectum matrimonium haud irritare («Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem extrinsecus et iniuste incussum ad extorquendum consensum», can. 78 §1, AAS 31 [1949] 106) acriter disceptabatur utrum etiam in legislatione canonica latina necessarius esset metus directe incussus ad extorquendum consensum vel potius satis esset metus indirectus, scilicet metus qui ab agente incutitur intentione non extorquendi consensum matrimonialem patientis, sed obtinendi alium effectum.

Sententia coram Staffa diei 20 aprilis 1956, nixa quidem aliis sententiis antecedentibus, cursum in Iurisprudencia N.O. firmiter peregit, qui in nova Lege expresse agnitus est per verba «etiam haud consulto incussum» (can. 1103): «Usque dum textus can. 1087 §1 reformetur, censemus, intra limites ab eodem praefinitos, metum quoque indirectum irritare matrimonium» (*R.R.Dec.*, vol. XLVIII, n. 2, p. 375).

Recolatur oportet quod necesse est ut metus actualiter vel virtualiter perseveret momento quo elicitur consensus necnon ut subiectum metum patiens de influxu externo conscientiam habeat.

Metus duplici via probari solet: indirecte, seu probando aversionem a nuptiis extitisse, et directe, nempe demonstrando factum coactionis.

Aversio confundi nequit nec cum simplici absentia amoris veri coniugalis in alteram partem nec cum mera haesitatione pro nuptiis celebrandis, quamvis vehemens praesumptio metus gravi incussi veniat ex gravi aversione in matrimonium: «Secundum constantem iurisprudentiam N.S.O. vehementem praesumptionem metus gravis suppeditat gravis aversio

partis contrahentis in matrimonium, quod varias ob causas imponitur. Aversionem autem per se non excludit neque libera instauratio sponsalium, si tamen probetur priorem favorem dein penitus cessasse, neque copula carnalis, quam sponsus ex reluctanti sponsa quasi per vim extorserit. Praeterea plena metus probatio haberi potest sive per argumenta directa, ex se plene probantia, sive per multa elementa et adminicula, quae singillatim non multum valent, sed simul sumpta et perpensa» (coram FELICI, decisio diei 10 ianuarii 1956, n. 2, in *R.R.Dec.*, vol. XLVIII, p. 10).

DE EXCLUSIONE BONI PROLIS AC BONI SACRAMENTI

3 - Idem matrimonium invalidum esse nequit ex capite metus atque ex capite simulationis consensus. Nam consensus ob metum elicitus, etsi vitiat, est verus consensus, cum idem non sit de simulato; ideo componi non possunt capita nullitatis matrimonii ex metu atque ex simulatione; nihil vero impedit quomodo duo capita, scilicet metus et simulatio, in eadem causa subordinate proponantur: «Non potest matrimonium simul nullum esse ex capite simulationis et ex capite metus. Nam simulatus consensus non existit; quod autem ex metu fit, est [...] Nihilominus simulatio et metus non raro in uno subiecto coniunguntur eo sensu quod, dum matrimonium meticulousum ex metu fit, seu metus est causa prima nullitatis, in matrimonio simulato non est causa prima, sed saepius causa secunda, i.e. non causat nullitatem directe, sed causat simulationem, unde sequitur nullitas. Proinde causa nullitatis proponi nequit ex capite metus et subordinate ex capite simulationis, nam sic in-

primo capite affirmatur consensus, in secundo negatur, quae inter se pugnant; sed potest accusari matrimonium ex capite simulationis, et subordinate ex capite metus, nam sic affirmatur consensus absentia, sed, in quantum haec absentia a Iudice tanquam non satis probata fuerit, adfirmatur consensum, de quo agitur, saltem metu vitiatum esse» (coram HEARD, decisio diei 30 decembris 1954, n. 2, *R.R.Dec.*, vol. XLVI, p. 963).

In simulatione sic dicta partiali enim natura ipsius consensus foedatur, cum matrimonii aliquod essenziale elementum vel alterutra essentialis proprietas excludatur.

Relatio inter consensum coniugalem, qui est "actus voluntatis" (can. 1081 §2 CIC 1917 et can. 1057 §2 Codicis vigentis) eiusque obiectum formale sic plane ex Constitutione *Exultate Dei*, a Concilio Florentino prodita, eminet: «Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus. Assignatur autem triplex bonum matrimonii. Primum est proles suscipienda et educanda ad cultum Dei. Secundum est fides, quam unus coniugum alteri servare debet. Tertium indivisibilitas matrimonii, propter hoc quod significat indivisibilem coniunctionem Christi et Ecclesiae» (DENZINGER-SCHÖNMETZER, *Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, ed. XXXVI, Barcinone etc. 1976, 336-337, n. 1327), et Concilium Vaticanum II, quidem sub specie magis personalistica, eadem agnoscit: «Intima communitas vitae et amoris coniugalis, a Creatore condita suisque legibus instructa, foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali instauratur [...]. Indole [...] sua naturali, ipsum institutum matrimonii amorque coniugalis ad procreationem et

educationem prolis ordinantur [...] Quae intima unio, utpote mutua duarum personarum donatio sicut et bonum liberorum, plenam coniugum fidem exigunt atque indissolubilem eorum unitatem urgent» (GS 48).

Nupturiens certo certius per suum consensum est actor vel auctor foederis iugalis, sed matrimonii essentia, scilicet obiectum consensus, nullatenus a subiecto humano connubii pendet, quia solummodo «Ipse [...] Deus est auctor matrimonii variis bonis ac finibus praediti» (GS 48).

Qui proinde excludit connubii ordinationem ad prolem aut perpetuitatem vinculi iugalis, aliud ac matrimonium intendit et solummodo pseudo-matrimonium peragit: «[L]a *intentio simulandi* [...] en cuanto excludidora del contenido esencial del matrimonio, falsifica el signo nupcial, desintegrando la natural conformidad de la palabra nupcial o signo equivalente con la verdadera voluntad de conyugarse y haciendo que el signo dé a entender al exterior lo que no es realmente la verdad interior» (P.-J. VILADRICH, *El consentimiento matrimonial*, Pamplona 1998, 213).

Exclusio etiam simulatio nuncupatur, quia habetur difformitas inter voluntatem, quae est interna agentis facultas, et externam manifestationem per verba aut signa aequipollentia peractam (cf. can. 1086 §1 et can. 1088 §2 CIC 1917; can. 1101 §1 et can. 1104 §2 Codicis nunc vigentis).

Consensus debet esse verus seu internus, nec sufficit externus vel fictus, quamvis non postulatur ut sit explicitus circa omnia quae ad matrimonii substantiam pertinent; satis est vero consensus implicitus, qui nempe in omnia iura atque officia simul vertatur, nullo excepto.

Boni prolis exclusio perpetua esse potest et etiam ad tempus, si ius ad actus per se ad prolis generationem aptos ab obiecto consensus amoveatur.

Cum ius ad actus per se aptos ad prolis generationem (cf. can. 1081 §2 CIC 1917 et can. 1061 §1 CIC 1983) sit per totum, limitationem temporis nullatenus patitur, nec interruptionem, neque terminos extra quos ius ipsum non obliget, et ad rem summa cum sapientia ac claritate Pius PP. XII docebat: «il diritto derivante dal contratto matrimoniale è un diritto permanente, ininterrotto e non intermittente, di ciascuno dei coniugi di fronte all'altro» (Allocutio iis quae interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italicae inter Ostetrices habita, die 29 octobris 1951, AAS 33 [1951] 845).

Procrastinatio prolis vero nullatenus cum exclusionem ordinationis ad prolem confundi nequit; nam illa tantum exercitium coniugalium actuum, etiam nonnumquam illicite, disponit, iure quidem tradito, cum e contra per exclusionem, etsi tantum ad tempus, nubens ne ullum quidem ius concedere velit, istud subigendo cuidam circumstantiae vel alterius qualitati: «due ipotesi si prestano alla nostra riflessione. Se già nella conclusione del matrimonio almeno uno dei coniugi avesse avuto l'intenzione di restringere ai tempi di sterilità lo stesso *diritto* matrimoniale, e non soltanto il suo *uso*, in modo che negli altri giorni l'altro coniuge non avrebbe neppure il diritto di richiedere l'atto, ciò implicherebbe un difetto essenziale del consenso matrimoniale, che porterebbe con sé la invalidità del matrimonio stesso [...]. Se invece quella limitazione dell'atto ai giorni di naturale sterilità si riferisce non al diritto stesso, ma solo all'uso del diritto, la validità del matrimonio resta fuori di discussione» (PIUS XII, Allocutio iis quae

interfuerunt Conventui Unionis Catholicae Italicae inter Ostetrices habita, die 29 octobris 1951, AAS 33 [1951] 845).

Iurisprudencia N.O. proinde aptam distinctionem constanter peregit inter exclusionem boni prolis, etsi tantum ad tempus, ac simplicem procrastinationem prolis vel exercitium paternitatis responsabilis: «Constituta existentia veri actus positivi voluntatis, inquirendum est de obiecto istius voluntatis: utrum agatur de voluntate essentialiter incomponibili cum bono prolis, an tantum de aliquo abusu, potius ordinem moralem quam canonicum attingente [...] Ardua ponitur aliquando quaestio de exclusionem boni prolis non absolutae, sed ad tempus. Cum homo per rationem agit atque media ad eiusdem iuris exercitium sapienter componi debeant cum sponsorum, adiunctorum, aliorum filiorum necessitatibus, generaliter praesumitur quod si solummodo ad tempus proles renuatur, potius de exercitio paternitatis responsabilis cogitandum est. Si tamen admissio prolis differtur ad tempus omnino indefinitum, agitur potius de substantiali boni prolis exclusionem» (coram ERLEBACH, decisio diei 29 octobris 1998, n. 16, in *R.R.Dec.*, vol. XC, p. 685).

Quoad bonum sacramenti distinctio inter ius et iuris adimplementum dari nequit: «[...] “fides” et “proles” possunt dupliciter considerari. Uno modo, in seipsis. Et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur, et pactio coniugalis servatur. Sed indivisibilitas, quam “sacramentum” importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se: quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari non possint. Et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate: invenitur autem sine fide et prole, quia

esse rei non dependet ab usu suo» (D. Th., *Suppl.*, q. 49, a. 3, in corp.).

Exclusio indissolubilitatis absoluta vel hypothetica esse potest; absolute vinculi perpetuitas respicitur, si a nupturiente solutio connubii intendatur, quin ipse quamlibet circumstantiam uti necessariam statuatur; hypothetice vero indissolubilitatem excludit qui suo matrimonio valedicere vult, si aliquid ab eodem definitum eveniat.

In casu exclusionis hypotheticae indissolubilitatis, hypothetica tantum habenda est circumstantia, non autem voluntas simulatoria, quae quidem absoluta, seu revera posita, esse debet.

Innumerae habentur hypotheses de vinculo frangendo, quae omnes sumuntur in illa formula “si casus ferat”, “si quaedam contingant”, animadvertitur vero cum apto sensu rei quod «formula “si casus ferat” non implicat per se “casus” desiderium, sed “casus” cautionem, ideoque, per se, et amorem et spem et conatum servandi matrimonium praesupponere posset» (coram FIORE, Decisio diei 18 octobris 1965, n. 6, in *R.R.Dec.*, vol. LVII, p. 679).

Processus animi excludentis hypothetice indissolubilitatem, summo cum intuitu psychologico a quodam clarissimo magistro sic describitur: «In effetti dove c'è solo una *intentio* contro il *bonum sacramenti*, e soprattutto dove c'è il patto, è normale che si speri nell'esito felice delle nozze, è possibile che ci sia una vera passione tra gli sposi: solo ci si vuole lasciare una porta aperta per il caso che la vita serbi una delle sue delusioni» (A.C. JEMOLO, *Il matrimonio nel diritto canonico*, ristampa, Bologna 1993, 291, nota 32).

Nexus, et nonnumquam quoque strictus, haberi potest inter exclusionem boni sacramenti et boni

prolis recusationem: «Cum exclusio prolis concurret cum exclusione indissolubilitatis, qua nupturiens sibi reservavit arbitrium abrumpendi vinculum, si res male cederent, et interim nullam prolem gignere statuerit, praesumptio stat pro exclusione iuris ad actus coniugales per se aptos ad generationem, seu boni prolis. Nempe, quamvis exclusio prolis sub specie temporalitatis pro consequendo experimento felicitis coniugii considerari quodammodo possit, tamen eadem exclusio perpetua evadit ob praevalentem intentionem solvendi vinculum, quia revera excluditur ipsa perpetua obligatio ad actus coniugales per se aptos ad prolis generationem cum exclusio indissolubilitatis matrimonii excludat ipsum obiectum contractus matrimonialis integre tradendum, quod est ius in corpus perpetuum et exclusivum in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem» (Reg. Latii seu Romana, coram CIANI, decisio diei 30 octobris 2000, n. 9).

Ad exclusionem perficiendam actus positivus voluntatis requiritur (cf. can. 1086 CIC 1917, can. 1101 CIC 1983); non sufficiunt proinde mera velleitas, sola praevisio – «etiam certa divertendi» (Aprutina seu Piscarien., coram PALESTRO, decisio diei 10 iunii 1991, n. 3), voluntas habitualis, scilicet quaedam mens aliena a prole vel a vinculi iugalis perpetuitate, errores quae voluntatem determinare haud valeant (cf. can. 1099 CIC 1983), sed matrimonium oriri nequit solummodo si exclusio per actum positivum voluntatis efficitur.

Tria elementa proinde postulantur, quae unum quidem significant, scilicet subiecti agentis realem ac veram intentionem circa obiectum suipsius actus («Si no hay acción voluntaria de simular, no hay simulación». P.J. VILADRICH, *El consentimiento ma-*

trimonial, Pamplona 1998, 202): «Il primo riguarda la *voluntas*, poiché solo essa è la causa efficiente, motrice e fonte primaria di ogni simulazione od esclusione [...]. Il secondo elemento, cioè l'*actus*, attribuisce alla volontà la forma di *operatio*, di attività volitiva, per cui essa si trasforma nell'atto di volere [...] il quale nel campo psicologico può corrispondere alla "decisione" [...] il terzo elemento, cioè la "positività" [...] fa escludere dal fenomeno simulatorio l'*actus mere negativus*» (A. STANKIEWICZ, «Concretizzazione del fatto simulatorio nel "positivus voluntatis actus"», *Periodica* 87 [1998] 280-282).

Probatio exclusionis matrimonii cuiusdam elementi essentialis vel alterutriusque proprietatis essentialis obtinetur duplicem viam sequendo, scilicet directam, quae constat praesumpti simulantis confessione iudiciali atque extraiudiciali, dummodo testibus fide dignis firmata, atque indirectam, circumstantiis efformatam.

Causa simulandi, quae quidem super causam nubendi praevalens esse debet, quasi fulcrum probationis indirectae habetur, cum homo quidem a quodam motivo inductus semper agit vel suam electionem perficit.

Quoad exclusionis probationem Iurisprudentia N.O. concinne ac perclaris verbis sic recolitur: «Exclusio fit non autem per falsas opiniones vel sententias de matrimonii natura, sed per positivum voluntatis actum – qui unus facit consensum – stricte firmissimis probandum argumentis, inter quae cum primis adsertae exclusionis proportionatum motivum resultet» (una Platien., coram SCIACCA, decisio diei 6 decembris 2002, n. 7).

DE DEFECTU FORMAE CANONICAE

4 - «Cum matrimonium ex natura rei perficiatur per consensum maritalem inter nupturientes exterius sufficienter manifestatum, independenter a speciali forma manifestationis, ideoque ex iure naturae matrimonium omnino clandestinum sit validum, ex lege positiva possunt in eius celebratione certae solemnitates requiri, quemadmodum accidit in aliis contractibus. Solemnitates in matrimonio contrahendo ex iure Ecclesiae adhibendae recte dicuntur *forma*. Pro duplici respectu, qui matrimonio inest, distinguitur *forma iuridica* quae directe respicit matrimonium ut contractum, et *forma liturgica* quae matrimonium respicit ut rem sacram et sacramentum» (F.X. WERNZ, *Ius canonicum*, ad Codicis normam exactum opera P. Vidal, t. V, ed. 3 a Ph. Aguirre recognita, Romae 1946, 663, n. 523 et n. 524).

Forma canonica etiam alia est ac forma sacramentalis «insita nella manifestazione del consenso» (A. STANKIEWICZ, in *Commento al Codice di Diritto Canonico*, a cura di P.V. Pinto, ed. 2, Citta del Vaticano 2001, 660).

Forma iuridica a Concilio Tridentino per decretum *Tametsi* prima vice statuta est, ut de matrimonio publice seu coram Ecclesia constare posset ac matrimonia sic dicta clandestina vitarentur: «Qui aliter quam praesente parrocho, vel alio sacerdote de ipsius parrochi seu Ordinario licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt: eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat» (DENZINGER-SCHÖNMETZER, *Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de*

rebus fidei et morum, ed. XXXVI, Barcinone etc. 1976, 418, n. 1816; cf. N. SCHÖCH, «La solennizzazione giuridica della “forma canonica” nel decreto *Tametsi* del Concilio di Trento», *Antonianum* 71 [1997] 637-672; A. SAJE, *La forma straordinaria e il ministro della celebrazione del matrimonio secondo il Codice latino e orientale*, Roma 2003, 69-76).

Perdurante labore ad Codicem pianum-benedictinum perficiendum, ob rationem «di porre un argine ai matrimoni clandestini e di determinare meglio la forma matrimoniale sostanziale ed il parroco dei contraenti» (A. SAJE, *La forma straordinaria e il ministro della celebrazione del matrimonio secondo il Codice latino e orientale*, Roma 2003, 120), S. Congregatio Concilii per decretum *Ne temere* diei 2 augusti 1907 edixit: «Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parrocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus solis testibus» (DENZINGER-SCHÖNMETZER, *Enchiridion symbolorum definitionum et declarationum de rebus fidei et morum*, ed. XXXVI, Barcinone etc. 1976, 674, n. 3469), et Codex anno 1917 promulgatus plane recepit illud decretum: «Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parrocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus» (can. 1094).

Ex schematibus coetus de matrimonio pro Codice Iuris Canonici recognoscendo patet quod «finis formae canonicae primarius est ut certo constet publice de celebratione, ne scilicet matrimonia clandestina contrahantur» (haec sunt verba Relatoris in conventu diei 9 octobris 1970, *Communicationes* 8 [1976] 32); novus canon 1108 in paragrapho prima eadem verba canonis veteris repetit, addita tantum possibili diaconi assistentia: «Ea tantum matrimonia

valida sunt, quae contrahuntur coram loci Ordinario aut parocho aut sacerdote vel diacono ab alterutro delegato qui assistant, necnon coram duobus testibus».

Forma canonica quidem nititur in natura tum contractuali tum sociali consensus matrimonialis, quippe qui haberi debeat prout actus iuridicus, ad cuius «validitatem [...] requiritur ut a persona habili sit positus, atque in eodem adsint quae actum ipsum essentialiter constituunt, necnon sollemnia et requisita iure ad validitatem actus imposita» (can. 124 §1 CIC 1983).

Praeprimis natura contractualis formae canonicae patet: «*Nomine formae legitimae*, iuridicae, canonicae, veniunt *vae sollemnitates* quae, ex praescripto Ecclesiae, adhibenda sunt, ut matrimonium, quatenus est contractus, valide et licite celebretur, adeoque sit iuridice publicum» (G. PAYEN, *De matrimonio*, vol. III, Zi-ka-wei 1936, 300, n. 1754).

Certo certius non est qui non videat naturam socialem tum hominis tum foederis iugalis, inspectis pondere ac consecrariis connubii in societatem humanam: «[L]a forma giuridica delle nozze rappresenta una conquista di civiltà, poiché conferisce ad esse rilevanza ed insieme efficacia dinanzi alla società, che conseguentemente ne assume la tutela» (IOANNES PAULUS II, Allocutio ad Romanae Rotae Praelatos Auditores die 21 ianuarii 1999 habita, n. 4, AAS 91 [1999] 624); «Officium hoc adsumunt sibi novelli coniuges “coram Deo et Ecclesia” prout eos celebrans commonet, cum consensus invicem profertur. Huius officii sunt testes quotquot eiusdem ritus sunt participes; ibidem etiam quodam modo Ecclesia ipsa ac societas exhibentur, quae vitales sunt locorum ambitus novae familiae» (IOANNES PAULUS II, Litterae Familiis datae *Gratissimam sane* diei 2 februarii 1994, n.

10, AAS 86 [1994] 881). «L'uomo non vive isolato, fa parte di una società e il matrimonio ha un'importanza sociale, oltre che privata, di estremo rilievo, per cui la sua celebrazione, nell'interesse della comunità e degli stessi sposi e delle loro famiglie, non può non avvenire che in una forma pubblica, secondo le modalità stabilite dalla legge. È questo un principio fondamentale dell'ordinamento canonico e di quello civile negli Stati moderni» (L. CHIAPPETTA, *Il matrimonio nella nuova legislazione canonica e concordataria*, Roma 1990, 268).

Attamen praeter huiusmodi fundamentum anthropologicum, Magisterium Ecclesiae hodie etiam extollit naturam ecclesiologicam formae canonicae; nam ex misterio Ecclesiae quam «Unicus Mediator Christus [...] ut compaginem visibilem constituit et indesinenter sustentat» (*Lumen Gentium*, n. 8), profluit natura ecclesialis formae canonicae: «sacerdos (vel diaconus) qui Matrimonii assistit celebrationi, sponsorum accipit consensum nomine Ecclesiae [...] Praesentia ministri Ecclesiae (et etiam testium) visibiliter exprimit, Matrimonium ecclesiale esse realitatem» (*Catechismus Catholicae Ecclesiae*, n. 1630).

Per foedus iugale christifidelis in novum statum vitae ingreditur, qui in ecclesiali compagine agnoscendus est pro peculiari missione in mundo: «in matrimonio [...] christiano coniuges ad sui status officia [...] roborantur et veluti consecrantur» (can. 1134); «familia christiana in historia Regnum Dei aedificat per easdem illas res cotidianas, quae eius condicionem vitae tangunt et definiunt: itaque in *coniugali familiarique amore* – qui secundum insignes suas divitias bonorum et postulorum universitatis, singularitatis, fidelitatis, fecunditatis impletur – proditur ac perficitur familiae christianae

participatio officii sacerdotalis, prophetici, regalis ipsius Iesu Christi eiusque Ecclesiae: amor idcirco ac vita medullam missionis salvificae familiae christianae in Ecclesia et pro Ecclesia efficiunt» (IOANNES PAULUS II, Adhortatio Ap. diei 22 novembris 1981 *Familiaris consortio*, n. 50, AAS 74 [1982] 142); «Della volontà dei coniugi, oltre che dinanzi alla comparte, deve constare anche “dinanzi alla comunità” di cui sono membri. Nel momento della prestazione del loro consenso, gli sposi, acquistano, in seno ad essa, uno stato giuridico nuovo, tutelato dalla legge [...] Nel momento della celebrazione del matrimonio, l'uomo e la donna che “si sposano nel Signore”, cioè come battezzati, accolti e situati nella comunità ecclesiale non soltanto come persone singole, ma come coppia, “hanno, nel loro stato di vita e nella loro funzione il proprio dono in mezzo al Popolo di Dio” (LG 11). Per rendere visibile questa dimensione comunitaria ecclesiale, il can. 1108 §2 prescrive che, normalmente, alla celebrazione delle nozze “assisti”, sia presente in modo attivo e libero, una precisa persona [...]. come rappresentante della comunità ecclesiale. Suo tramite, e come se fosse la stessa comunità che interroga gli sposi sulla loro intenzione di legarsi e amarsi per tutta la vita e li ascolta nella loro risposta, raccoglie il loro impegno» (A.M. ABATE, *Il matrimonio nella nuova legislazione canonica*, Roma – Brescia 1985, 137-138).

Sollemnitates a lege positiva Ecclesiae imperatae revera fundamentum obtinent a principio formali consensus: «Il principio formale esige in ogni epoca che la società (la Chiesa) organizzi i modi in cui la celebrazione nuziale possa essere riconosciuta come tale» (J. CARRERAS, «Forma canonica e favor matri-

monii in una recente sentenza rotale», *Ius Ecclesiae* 6 [1994] 207).

5 - Cum matrimonium in casu contractum sit sub regimine veteris Codicis Iuris Canonici, normae in isto statutae aspiciendae ac servandae sunt.

Forma celebrationis, in casibus ordinariis, necessaria ad validitatem, et idcirco substantialis, ex duobus constat, scilicet ex praesentia duorum saltem testium, quae satis sit ad testandum manifestum consensum matrimonialem, et ex praesentia parochi loci aut loci Ordinarii aut eorum delegati, quae sit legitima.

Forma substantialis haec ad validitatem servanda est ab illis, qui subiciuntur (cf. can. 1099 CIC 1917); sed etiam ab istis non nisi in casibus ordinariis tenenda manet; a lege enim (cf. can. 1098 CIC 1917) alia forma peculiaris, extraordinaria nuncupata (cf. A. SAJE, *La forma straordinaria e il ministro della celebrazione del matrimonio secondo il Codice latino e orientale*, Roma 2003, 135-167), ad validitatem sufficiens, conceditur, qua potest matrimonium valide et licite contrahi etiam coram solis testibus.

Ad validitatem adsistentiae sive Ordinarii sive parochi in lege tempore matrimonii in casu vigente quattuor habebantur necessaria (cf. can. 1095 §1 CIC 1917): 1) ut illi canonicam beneficii possessionem vel canonicum initium coepissent, si in officio sine beneficio erant; 2) ut non fuissent excommunicati, vel interdicti vel suspensi ab officio per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam; 3) aut adstitissent matrimonio intra fines sui territorii; 4) ut adsistentes nec vi nec metu gravi constricti exquirerent et exciperent consensum.

In novo canone 1108 §2 etiam natura ecclesialis formae canonicae eminet: «Assistens matrimonio in-

telligitur tantum qui praesens exquirat manifestationem contrahentium eamque nomine Ecclesiae recipit».

In eadem norma ne ulla quidem mentio fit de beneficio, cum huiusmodi institutum haud amplius in Ecclesia exstet.

Nihil dicitur de assistente vi ac metu constricto, sed libertas in suo munere exercendo cuilibet nunc agnoscitur prout necessaria.

Principium competentiae territorialis denuo statuitur (cf. can. 1111 §1), admissa quidem competentia personali (cf. can. 1110).

6 - Ordinarii et parochi, eisque in officio aequiparati, qui uti testes qualificati matrimonio assistunt, competentiam ex officio obtinent; ipsi vero alium sibi substituere possunt.

Rectius de licentia potius quam de delegatione agitur: «Sicut [...] assistentia ab ipso substituente praestita non est vere actus iurisdictionis, ita etiam concessio facultatis non est delegatio proprie dicta seu transmissio iurisdictionis, ideoque licentia potius quam delegatio (can. 1095 §2) vocatur. Attamen interdum dicitur etiam delegatio (cf. cc. 1094, 1096 §1), quia fit reapse ad normam delegationis eique fere ac verae delegationi applicantur principia» (F. M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, vol. III, ed. 3, Taurinorum Augustae – Romae 1933, 760, n. 672).

Facultas validae adsistentiae praestandae non nisi ab eis, qui actū valent adsistere, concedi potest. Facultas dari potest tum vicariis cooperatoribus, tum aliis in ordine sacerdotali constitutis. Vicariis cooperatoribus concedi potest sive a parochio sive ab ordinario, delegatione etiam generali; nunc in novo canone pro delegationis generalis validitate exigitur forma scripta (cf. can. 1111 §2).

Codex pianus-benedictinus «statuit expresse exceptionem quoad vicarios cooperatores, qui pro paroecia, cui addicti sunt, generaliter delegari possunt, scil. ad assistendum sive omnibus sive certae categoriae matrimoniis. Ratio huius dispositionis est, ut aptius consulatur curae animarum in paroecia exercendae. Eo ipso quod vicarii cooperatores constituuntur, nequaquam censendi sunt delegati ad assistendum matrimoniis. Nonnulli contrarium deducere voluerunt ex can. 476 §6; sed immerito. Nam si iste canon tribueret cooperatores facultatem assistendi matrimonio, superflua foret delegatio de qua est sermo in can. 1096, §1» (F.M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, vol. III, ed. 3, Taurinorum Augustae-Romae 1933, 764-765, n. 674; cf. coram DE JORIO, dec. diei 26 novembris 1969, n. 3, in *R.R.Dec.*, vol. LXI, p. 1050; coram BRUNO, dec. diei 27 aprilis 1979, n. 5, *R.R.Dec.*, vol. LXXI, p. 229).

Quae vero conceditur sacerdoti, qui non sit cooperator in paroecia, non nisi personae aliquo modo, e.g. per designationem nominis aut officii seu ecclesiae, determinate, licet non cognitae, et pro determinato matrimonio conceditur; matrimonium «*determinatur* nomine contrahentium, aut eorum officio aut et loco celebrationis» (F.M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, vol. III, ed. 3, Taurinorum Augustae – Romae 1933, 764, n. 674).

Nihil prohibet quominus parochus vel ordinarius personam determinet ita: licentiam petitam concedo tibi primum, Rev. Petre, et, in tui defectu, Rev. Paulo, illoque deficiente, Rev. Marco, et ita porro; persona enim hoc in casu est determinata; ast «invalida est licentia data sponsis sibi eligendi sacerdotem, quem maluerint» (P. CERATO, *Matrimonium a Codice I.C. integre desumptum*, ed. IV, Patavii 1929, 158).

Delegatio vero expressa postulatur, «o sea manifestada oralmente, o por escrito, o por algun otro signo equivalente manifestativo de la *voluntad positiva* del delegante de conceder la delegación; pues la delegación es un acto jurídico, y estos actos no se realizan sin voluntad de realizarlos. Por lo tanto, no basta la voluntad interpretativa ni la delegación interpretativa o presunta. Pero tampoco se requiere que la delegación sea explícita; pues el término “expresa” no se contrapone a “implícita”, sino a “tacita”, “presunta” o “interpretativa”. Basta, por lo tanto, que la delegación sea implícita» (L. MIGUÉLEZ DOMÍNGUEZ, in *Comentarios al Código de Derecho Canónico*, BAC, Madrid 1963, vol. II, 657; cf. etiam coram WYNEN, decisio diei 30 iulii 1941, nn. 14-18, in *R.R.Dec.*, vol. XXXIII, dec. LXVIII, pp. 726-730; coram HEARD, dec. diei 9 decembris 1953, n. 2, *R.R.Dec.*, vol. XLV, p. 755; coram LEFEBVRE, dec. diei 27 martii 1965, n. 3, *R.R.Dec.*, vol. LVII, p. 303).

Tantummodo «*generaliter* delegati possunt in singulis casibus *subdelegare*» (F.M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, vol. III, ed. 3, Taurinorum Augustae – Romae 1933, 765, n. 674).

7 - Facultas assistendi matrimonio ex analogia cum iurisdictione suppletur in casu erroris communis et in dubio positivo et probabili, ad mentem can. 209 CIC 1917 et can. 144 Codicis vigentis.

Responsio Pontificiae Commissionis Interpretationis Codicis Iuris Canonici diei 26 martii 1952 («Resp. V.I. An praescriptum can. 209 applicandum sit in casu sacerdotis qui, delegatione carens, matrimonio assistit. R. Affirmative», AAS 44 (1962) 497) agnovit canonem 209 applicandum esse etiam ad matrimonia, quod iurisdictio N.O. iam perficiebat

(cf. coram WYNEN, dec. diei 1 februarii 1937, n. 5, in *R.R.Dec.*, vol. XXIX, dec. VIII, pp. 59-60; coram JULLIEN, dec. diei 24 maii 1939, nn. 4-6, in *R.R.Dec.*, vol. XXXI, p. 310-312).

In actu iurisdictionis ordinariae aut delegatae, etiam numquam concessae, iurisdictio suppleta a lege Ecclesiae his verbis datur: «In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno» (can. 209 CIC 1917), et in paragrapho secunda novi canonis 144 additur explicita mentio ad facultatem assistendi matrimoniis: «Eadem norma applicatur facultatibus de quibus in cann. [...] 1111 §1»; huiusmodi institutum suppletivae iurisdictionis sic perbelle definitur: «Supplere iurisdictionem est conferre in singulis actibus, necessariam ad valide agendum potestatem quam Superior vel iudex qui agit, neque ex officio neque ex delegatione obtinet. Quare neque ante actum neque post illum potestas illa existit et Superior vel iudex recte dicitur carere potestate (sc. *habitualiter*), etsi *actum* sine potestate non ponat» (A. VERMEERSCH – I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, t. I, Mechliniae – Romae 1963, 304, n. 322).

Ut facultas suppleri possit praeprimis agi debet de errore, seu de iudicio falso, qui quidem aliud est ab ignorantia, quippe quae sit carentia cognitionis, quamvis ista nonnumquam fons erroris habeatur: «Si autem contrahentes et ii qui adsistunt matrimonio nesciunt sacerdotem matrimonio assistantem egere delegatione, nec habent notitiam alicuius muneris quod in paroecia ille exerceat vel in loco celebrationis (v.gr. cappellanus sanctuarii), ex quo cogitare valerent, sicuti alii in communitate, illum matrimoniis assistere posse, casus esset ignorantiae necessitatis alicuius tituli (officium, licentia) ad assistantiam ma-

trimonialem. Ignorantia non confunditur cum errore. Deesset nempe fundamentum erroris communis» (R. BIDAGOR, «De applicatione can. 209 ad assistentiam matrimonii», in *De matrimonio coniectanea*, Roma 1970, 191); «Ut autem Ecclesia suppleat potestatem assistendi matrimonio, requiritur error communis. *Error* imprimis, non ignorantia; ille definitur falsum rei iudicium, dum haec est carentia cognitionis» (coram TEODORI, decisio diei 31 martii 1949, n. 5, in *R.R.Dec.*, vol. XLI, p. 147; cf. etiam coram MATTIOLI, dec. diei 2 maii 1957, n. 2, *R.R.Dec.*, vol. XLIX, p. 379).

Quoad matrimonii celebrationem autem aliquis animadvertit: «Les fidèles aujourd'hui ignorent qu'un prêtre a encore besoin d'une concession de pouvoir pour agir. L'ignorance n'est pas erreur, mais le devient lorsque ils jugent que, étant prêtre, et plus encore, agissant dans telles circonstances, il a le pouvoir! Il me semble que tout prêtre agissant publiquement comme tel, par exemple revêtant l'aube dans une église, se place toujours dans des circonstances induisant en erreur commune» (F.J. URRUTIA, *Les norme generales*, Paris 1994, 229, n. 794); attamen non est qui non videat hanc praesumptionem tantum in ordine sociologico manere, quin ad criterium iudicium pervenire possit.

Cum leges ecclesiasticae intelligendae sint «secundum proprium verborum significationem in textu et contextu consideratam» (can. 17 CIC 1983) atque cum ipse Legislator distinctionem ostendat errorem inter et ignorantiam (cf. can. 15 CIC 1983), fundamentum erroris communis solummodo errori tribui potest, et nullatenus ignorantia seu nescientia neque status dubii sufficit ut in errorem inducat, sed requiritur «*judicium positivum errorem*» (G. Mi-

CHIELS, *De potestate ordinaria et delegata*, Parisiis 1964, 298).

Pro supplenda iurisdictione, ideoque pro facultate assistendi matrimonio, error sit communis oportet; huiusmodi peculiaritas pertinet tum ad subiectum errans tum ad facultatis suppletæ finem.

Error fit communis si iudicium falsum quamdam communitatem deflectat: «“Error communis”, idest, non error unius vel alterius aut paucorum, sed error “vulgo” habitus, error omnium vel fere omnium vel saltem multorum in loco seu in communitate in qua ab agente actus iurisdictionis ponitur, ita ut attingat communitatem moraliter loquendo totam» (G. MICHIELS, *De potestate ordinaria et delegata*, Parisiis 1964, 298), et ratio istius notae essentialis, ut suppleta iurdictio habeatur, invenitur in bono communitatis tuendo: «Quia est publica auctoritas quae supplet defectum iurisdictionis [...] certe requiritur error communis: jus enim utilitati communi prospicere intendit» (G. MICHIELS, *De potestate ordinaria et delegata*, Parisiis 1964, 299; clemus Auctor hanc sententiam refert a: LEGA, *De iudiciis ecclesiasticis civilibus*, I, n. 355); «Error communis, non autem privatus, quia Ecclesia supplet ratione boni publici seu communis, quod profecto locum non habet quando unus vel alter sive pauci dumtaxant errant» (F.M. CAPPELLO, *Tractatus canonico-moralis de sacramentis*, vol. III, ed. 3, Taurinorum Augustae – Romae 1933, 758, n. 670).

Error communis esse potest de facto, qui de facto exstat in multis, erronee putantibus quemdam facultate frui; error communis nuncupatur de jure, si habeatur talis status rerum per se aptus ut multi fallantur.

Pro iurisdictione suppleta error de iure et in actu primo seu virtualiter communis sufficit, cum habea-

tur quaedam circumstantia, et quidem publica, capax ad inducendos plures christifideles in errorem: «Quae sententia, post Codicis evulgationem a pluribus, quibusdam tamen contradicentibus, amplexa, tute retinenda videtur, attentis gravibus rationibus adductis, attento pariter fine legis et mente Legislatoris, qui in canone 209, silentio sublatis pluribus controversiis olim agitatis hac de materia, ut de tituli colorati necessitate, voluit dare legem quae nullum locum praestare dubiis» (coram JULLIEN, decisio diei 24 maii 1939, n. 7, in *R.R.Dec.*, vol. XXXI, p. 313); «non omne factum publicum tale est ut natura sua inducat multos in errorem [...] Quapropter, imprimis valde iuvat perpendere utrum annon munus illud, quod absque iurisdictione exercetur, respondeat iuridicae ac publicae, non privatorum, necessitati. Nec ad errorem inducendum sufficit mera adstantia alicuius sacerdotis alicui matrimonio» (coram POMPEDDA, decisio diei 17 aprilis 1972, n. 2, *R.R.Dec.*, vol. LXIV, p. 175); «Error autem communis etiam iuxta tenorem novae legis scaturiatur oportet e facto publico, quod natura sua aptum sit inducendi communitatem fidelium ad credendum matrimonio assistentem facultate ad hoc necessaria revera potiri [...] Quare ut suppletio sortiatur suum effectum requiritur ut matrimonio assistens, sacerdos vel diaconus, munus aliquod, etiamsi auxiliare, in paroecia vel in aliquo sanctuario exercent, quod saltem in apparentia inducere valet fideles in persuasionem de legitimo possessorio ab illo necessariae facultatis» (coram STANKIEWICZ, decisio diei 15 decembris 1992, n. 17, *R.R.Dec.* vol. LXXXIV, p. 672); «Istud [...] publicum factum, quod uti fundamentum assumitur, constare potest, et quasi coalescere et robur accipere, ex connexis circumstantiis,

dum et ipsae publicae sint seu pluribus adstantibus notae. Si igitur tale fundamentum desit error communis virtualis, seu in actu primo non habetur quia factum non habet virtutem inducendi in errorem communitatem [...] igitur cuique patet ad mentem sive veteris sive novae normae canonicae errorem communem non posse spectare factum singulare sed respicere debere fundamentum iurisdictionis, quae supponitur in aliquo, cum de facto desit» (coram Exc.mo POMPEDDA, decisio diei 14 februarii 1997, n. 10 et n. 11, *R.R.Dec.*, vol. pp. 107-108).

Quoad assistentiam matrimonio Ecclesia supplet potestatem ordinariam, v.gr. in casu parochi putativi vel eidem aequiparati.

Potestas delegata suppletur etiam quando agitur de sacerdote (et in novo iure etiam de diacono, cf. can. 1111 §1) qui habet munus stabile adiuvandi parochum in ministerio, vel de sacerdote qui solet matrimoniis assistere delegatus.

Potestas vero suppleri nequit si sacerdos matrimonium assistens, nulla delegatione recepta, suum munus in illa communitate habitualiter non reddit, sed tantummodo ad unum singulare matrimonium sine delegatione venit; et in casu error nullatenus communis esse potest quia «a) unum matrimonium nullum ex defectu potestatis delegatae non consideratum fuit ut malum publicum; b) tum Rota Romana tum cetera tribunalia constanter declararunt nulla talia matrimonia: quod agere non potuissent nisi certa esset millitas [...] c) Si Ecclesia suppleret in casu singulari, iam ad nihil redigeretur c. 1094 qui ad matrimonii valorem requirit potestatem ordinariam vel delegatam: nam numquam deesset potestas ab Ecclesia suppleta» (E.F. REGATILLO, *Institutiones Iuris Canonici*, ed. quinta adaucta, vol. I, Santander 1956,

281-282); «in praxi regulariter non verificatur error communis de facto, ac proinde regulariter non suppletur jurisdictionis defectus, quando agitur de agente extraneo communitati ignoto, de quo communitati non constat» (G. MICHIELS, *De potestate ordinaria et delegata*, Parisiis 1964, 319).

Cum sacramentum quid publicum in Ecclesia habeatur (cf. Conc. Oecumenicum Vat. II, Const. De sacra Liturgia *Sacrosanctum Concilium*, nn. 7, 9, 10), etiam in casu singulari matrimonii initi coram sacerdote, qui in communitate nuptiarum celebrationis suum munus habitualiter non exercet, et nullatenus legitima delegatione ornatus est, celebratio minime prout quid privatum censi potest, ac proinde ratio boni communis etiam hac in circumstantia ferenda est pro potestate supplenda: «Dal momento che si afferma la dimensione ecclesiale (sociale) delle nozze, con un minimo di coerenza si deve accettare che la difesa della sua validità è pure un bene per tutta la Chiesa». J. CARRERAS, «Forma canonica e favor matrimonii in una recente sentenza rotale», *Ius Ecclesiae* 6 [1994] 211); attamen, attento quod institutum formae canonicae est res potius disciplinaris quam dogmatica (cf. N. SCHÖCH, «La solennizzazione giuridica della “forma canonica” nel decreto *Tametsi* del Concilio di Trento», *Antonianum* 71 [1997] 650-652, 670-671), disciplina Ecclesiae ad nihil redderetur, si in quolibet defectu potestatis Ecclesia suppleret; ac tandem recolatur oportet reapse bonum commune servandum respicere communitatem concretam seu particularem, quippe quae haberi debeat paroecia (cf. can. 216 §§ 1-2 CIC 1917; canones 515 §1 et 518 Codicis nunc vigentis), ac proinde tantum ab ista communitate species ac mensura boni communis oritur.

Quidam censent ad errorem communem inducendum satis esse celebratio in ecclesia: «“[...] en circunstancias normales de celebración de un matrimonio – en un oratorio o iglesia, con la presencia de la familia y los amigos, habiendo mediado proclamas y expediente prematrimonial – siempre ha lugar la suplencia, tanto porque se da error común *de iure* – el que el sacerdote salga revestido y dispuesto a asistir al matrimonio es un hecho capaz de inducir a error – come *de facto*, porque la mayoría de los asistentes pensarán que realmente posee facultad de asistencia” [J.M. GONZALEZ DEL VALLE, *Derecho matrimonial según el Código de 1983*, 4 ed., Pamplona 1988, 141]. Todas estas circunstancias forman un ambiente en virtud del cual la gente piensa generalmente que se trata de la celebración válida de un auténtico matrimonio» (A. NITA, «La suplencia de la facultad de asistir al matrimonio en caso de error común, a la luz de la jurisprudencia de la Rota Romana», *Ius Canonicum* 39 [1999] 705-706); ast error communis non tantum in locum vertit, sed praeprimis in personam assistentis, ob eiusdem putativum munus vel habitualement rationem gerendi in illo loco; nam forma canonica sistit in principiis territorialitatis necnon exclusivitatis (cf. U. NAVARRETE, «Questioni sulla forma canonica ordinaria nei Codici Latino e Orientale», *Periodica* 85 [1996] 511), quae quidem attinent ad personas in definito territorio officium exercentes legitime vel tantum putative.

Alii tandem censent in quolibet casu defectus facultatis delegatae pro assistendo matrimonio, ac proinde etiam in factis specie assistentis communitati omnino extraneo, valere suppletionem ob dubium positivum et probabile, cum pro nunc ad rem unanimes doctrina haud habeatur: «La Iglesia suple la ca-

rencia de facultad en los casos de duda positiva y probable, como afirma ese mismo canon 144 §1, y este principio es aplicable al canon 1111 §1, según el mismo canon 144 §2. Hay duda positiva y probable acerca de que la Iglesia supla la facultad delegada de asistir a un matrimonio en el caso de un error común de derecho, aun cuando el sacerdote o diácono asistente no tenga ningún título de competencia relacionado con la celebración de ese matrimonio, dado el número y autoridad de los autores que propugnan esta doctrina y los argumentos en que la apoyan. Luego la Iglesia suple la carencia de delegación en todos los casos de error común de derecho sobre la facultad de asistir a un matrimonio» (E. OLIVARES D'ANGELO, «Error común de derecho y asistencia al matrimonio», *Estudios Eclesiásticos* 74 [1994] 717); attamen huiusmodi sententia nullatenus accipi potest, cum in norma de potestate suppleta agatur non de quaestione in doctrina disputata, sed de dubio inhaerenti ipsi subiecto agenti: «Agitur sane de dubio, quod consistit in statu indeterminationis mentis, vel magis proprie, in statu fluctuationis inter utramque contradictionis partem de habita vel minus assistendi matrimonio facultate aut de suppletionem ex parte Ecclesiae. Attamen ut Ecclesia suppleat, requiritur dubium subiectivum determinati agentis de facultate ordinaria ad eum pertinente, ut puta tempore vacationis paroeciae vel si parochus sit impeditus (cf. can. 541 §1), aut si sanctuarium pro celebratione matrimonii selectum intra fines eius paroeciae inveniatur (cf. can. 518); vel de concessa ei facultate delegata generali» (coram STANKIEWICZ, decisio diei 15 decembris 1992, n. 18, in *R.R.Dec.*, vol. LXXXIV, p. 672); «Dubium juris, in materia de qua agitur in can. 209, tunc habetur, quando agens

dubitat num reapse jurisdictione necessaria polleat, quia ipsi non constat cum certitudine omnimoda num ad normam juris, vi legum jurisdictionis concessio-nem et exercitium ordinarium, potestatem habeat ad ponendum jurisdictionis actum de quo in concreto agitur» (G. MICHIELS, *De potestate ordinaria et delegata*, Parisiis 1964, 356); certo certius in quadam circumstantia concreta una simul concurrere possunt tum error communis tum dubium: «En caso concreto, pueden concurrir el error común y la duda positiva y probable, y la validez del acto resulta de uno y otro motivo [...] Se trata de dos requisitos distintos y normalmente concurrentes, aunque no siempre, porque puede haber una situación de error común sin que exista la duda positiva y probable en el sujeto que ejerce la potestad. Por tanto, es suficiente el error común con la certeza del sacerdote de la falta de delegación, o también la duda de derecho o de hecho por parte del sacerdote sin que haya error común por parte de los otros destinatarios de la potestad» (F. LOPEZ ILLANA, «La suplencia de la facultad de asistir al matrimonio», in *Forma jurídica y matrimonio canónico*, ed. R. Rodríguez Ocaña, Pamplona 1998, 145).

Dubium, quod definiri solet uti «status mentis inter duas aut plures sententias haerentis» (A. VERMEERSCH – I. CREUSEN, *Epitome Iuris Canonici*, t. I, Mechliniae – Romae 1963, 306, n. 322), necessarium ac sufficiens pro potestate supplenda est solummodo dubium positivum, seu «si ad affirmandam iurisdictionem ratio adest» (*ibid.*) et probabile, scilicet «si ratio alicuius momenti seu gravis est: ita ut probabilis sive iure, sive facto sit iurisdic-tio» (*ibid.*); dubium vero negativum habetur «si ad affirmandam iurisdictionem ratio nulla afferri potest, neque certa

ad negandam. Ab ignorantia actuali non differt» (*ibid.*).

Si dubium vertit circa existentiam, vim aut extensionem legis, huiusmodi species vocatur dubium iuris, cum dubium facti pertineat ad «existentiam condictionum quas lex certo requirit ut actus sit validus» (*ibid.*).

Dubium sufficiens ad supplendam facultatem assistendi matrimonii «obvenit vel quando agenti cum certitudine non constat num vi legum habeat facultatem ponendi actum adsistentiae matrimonii celebrationi vel quando eidem cum certitudine non constat cum in casu concreto verificetur factum, a quo pendet validum facultatis assistendi exercitium» (coram Exc.mo POMPEDDA, decisio diei 14 februarii 1997, n. 12, in R.R.Dec., vol LXXXIX, p. 108).

Defectus formae canonicae probatur tum per documenta authentica tum per depositiones iudiciales: «Ad demonstrandum nuptias contra huiusmodi Codicis praescriptum celebratas fuisse, valde proderunt tum scriptum celebrati matrimonii documentum, quod publicam fidem facit, et praestat probationem probatam [...] tum etiam iurata declaratio parochi, vel sacerdotis adsistentis, qui est testis qualificatus, itaque solus probare potest (can. 1791), tum denique aliorum testium depositiones attestantium de circumstantiis celebrati coniugii» (coram FELICI, decisio diei 1 februarii 1955, n. 3, in R.R.Dec., vol. XLVII, p. 112).

In facto

DE VI ET METU MULIERI CONVENTAE INCUSSO

8 – Mulier conventa in sessione pro dubii concordatione, in prima instantia peracta, peremptorie

negaverat «di essere arrivata al matrimonio perché costretta» (Summ. 16).

In suo vadimonio ipsa deinde fassa est crebras difficultates perdurante consuetudine sponsalicia affuisse ob viri fastidiosam indolem et saltem unam intermissionem evenisse: «Fummo fidanzati cinque anni. Parecchie volte litigammo e il fidanzamento fu anche interrotto. I motivi sembravano futili, ma il comportamento di lui me lo rendeva indisponente e notavo che era troppo nervoso. Marco è nervoso, piuttosto chiuso» (P.C., Summ. 87/7-8).

Puella etiam a sua domo sponsum depulit, et anulum sponsalicium proiecit: «In un'altra circostanza successiva volli essere più decisa e cacciai Marco da casa gettandogli dietro la fedina di fidanzamento» (P.C., 88/11).

Certo certius quaedam aversio in puella inerat, sed ipsa confessa est se sensu miserationis captam esse, postquam Marcus in accessum epilepsiae inciderat: «Durante un litigio Marco ebbe una crisi nervosa molto forte, perse i sensi per circa dieci minuti e faceva anche bava dalla bocca. Eravamo soli e non l'ho mai detto ai miei. Io in precedenza gli avevo detto che non lo volevo più, quando si riebbe implorava di non lasciarlo. In quel momento non insistetti a lasciarlo» (P.C., Summ. 87-88/10); ast vir nullatenus agnoscit se epilepsia laborare (cf. Summ. 100-101/1-2).

Actor autem in novissimo vadimonio gravissima refert, quae prorsus alia sunt ac mulieris aversio; nam ipse locutus est de consuetudine praenuptiali amore imbuta atque addit se numquam dubitavisse de puellae felicitate in consuetudine servanda: «Prima del matrimonio non mi è mai venuto il dubbio che Lucia non fosse contenta della nostra relazione

[...]. Lucia, almeno di fronte a me, non ha mai detto di non volere il matrimonio [...] ci sono state intimità prematrimoniali fatte certamente con amore» (P.A., Summ. 144/7, 9, 10).

Actor in libello enarrat se a muliere certiore factum esse, consuetudine coniugali nuper fracta, de metu in eandem incusso: «Un giorno (erano trascorsi appena 40 giorni dalle nozze!) [...] Lucia fece le valigie e a mia insaputa se ne andò dalla casa coniugale [...] Allibito, quella sera stessa mi recai a casa [dei suoi genitori] [...] parlai con Lucia cercando di convincerla a tornare a casa, ma essa rifiutò recisamente (sic!) ed accusò sua madre di aver lei la colpa dei suoi guai in quanto era stata lei a costringerla a sposarmi contro la sua precisa volontà. Si richiamò espressamente all'episodio della rottura del fidanzamento quando mi aveva licenziato buttandomi addosso l'anello, e dichiarando che era stata proprio sua madre ad obbligarla con le sue pressantissime insistenze a riprendere, dopo una settimana, la relazione con me» (Summ. 5).

Conventae mater una voce pingitur prout mulier fortis atque imperiosae indolis praedita: «La mia futura suocera aveva un carattere forte, autoritario e da lei dipendevano tutte le decisioni che si prendevano in casa» (P.A., Summ. 23/6).

Ast ipse actor excludit minas a puellae matre adhibitas esse ut filia matrimonium iniret: «Io non credo che la mia futura suocera, per indurre la figlia a sposarmi, abbia fatto ricorso ad un obbligo o a delle minacce: conoscendo la mia laboriosità, avrà usato parole per convincere Lucia a contrarre matrimonio con me» (P.A., Summ. 23/7).

Quapropter nulla coactio patrata est, et puella tantum morem parentis gessit, cum ipsa, actore fa-

tente, semper oboediens matris placitis ac fortasse ingenua patefieret: «Tutte le volte che la mamma parlava, Lucia non aveva alcunchè da obiettare e obbediva, non perché avesse paura della mamma, ma perché era una sempliciona e credeva a tutte le cose che la mamma diceva» (P.A., Summ. 23/6); sed, attentis ipsis verbis actoris, potius de nimio affectu quam de metu agebatur.

Ac tandem in novissimo vadimonio reddito in nostro iudicii gradu actor tantum asserit quod puellae matris nuptias proposuit, quin ipse ne verbum quidem faciat de illius iussu vel coactu: «È stata la madre di Lucia a proporre il matrimonio, dicendo che, frequentandoci ormai da alcuni anni, era arrivato il momento giusto per sposarsi [...] era sempre la madre di Lucia a suggerire il matrimonio; Lucia non parlava quasi mai e quando parlava del matrimonio non faceva altro che acconsentire al pensiero della madre. La madre di Lucia diceva che era ora di sposarsi» (P.A., Summ. 144/9, 145/15).

Vir solummodo suam opinionem de habituali matris coercitione in filiam, quae autem contendebat se liberam esse: «A mio giudizio Lucia era pilotata da sua madre: io facevo notare a Lucia questa mia impressione ma lei negava che fosse vero perché diceva di fare di testa propria» (P.A., Summ. 146/16).

Testes ab actore inducti solummodo pingere valent indolem imperiosam puellae matris: «La madre di lei è una che comanda» (F., Summ. 64/11); «la mamma [...] autoritaria» (G., Summ. 45/11); «La mamma è autoritaria. Il papà non conta nulla» (H., Summ. 76/10).

Consobrinus conventae, Rev. C., ex officio excussus, censet matrem puellae in filiam auctoritatem exercuisse ac conventam aversione in matrimonium

affectam esse: «La mamma è una donna [...] impicciona e chiacchierona e per lei, data la mentalità di tante mamme, fatto il fidanzamento è fatto anche il matrimonio. Perciò ha certamente influenzato la situazione perché arrivasse a concludersi con le nozze [...]. L'avversione a questo matrimonio in lei si acuiva perché il fidanzato le ripeteva sempre: "Da sposata ti domerò io". Certamente non ebbe il coraggio di tirarsi indietro perché la mamma invece di incoraggiarla in questa direzione era tutta orientata e decisa a preparare le nozze» (Summ. 75/11, 76-77/18); testis autem, prout clare patet, deductionem perficit, quae ex indole conventae matris ad eiusdem coactionem procedit, quam conventa, de cuius credibilitate idem testis fidem facit (cf. Summ. 73-74/4), prorsus negat: «Mamma non ha mai usato pressioni su di me» (P.C., Summ., 123/12), et a sorella hoc plane firmatur: «Non mi risultano pressioni. Certamente i miei genitori non l'hanno costretta [...] Mamma vedeva sempre una sistemazione ed il bene della figlia in questo matrimonio» (L., Summ. 97/10).

Recte proinde iudices primi gradus animadvertunt in casu defecisse probationem coactionis et metus ab externo incussi ac potius quam aversionem tantum haesitationem emersisse (cf. Summ. 125, 126, 128, 129).

DE EXCLUSIS BONIS SACRAMENTI ET PROLIS A MULIERE CONVENTA

9 - In sessione ad litem contestandam conventa suam mentem tum quoad bonum sacramenti tum quoad bonum prolis palam ostendit asseverans «di

non aver avuto riserve sulla indissolubilità e nella prole» (Summ. 16).

Et in sua depositione sub iure iurando reddita hoc plane firmat: «È assolutamente falso che io abbia fatto delle riserve contro l'indissolubilità e la prole» (P.C., Summ. 88/14).

Ipsa quidem suam mentem divortio faventem agnoscit, cum in plebis scito in Italica natione habito ipsa suffragium pro lege servanda dedisset (cf. P.C., Summ. 88/15).

Actor in manifestam contradictionem incidit; nam in primo vadimonio ipse, modo prorsus assertivo, contenderat sponsam exclusionem hypotheticam indissolubilitatis ostendisse: «lei mi rispondeva che, se non fossimo andati d'accordo il divorzio avrebbe sistemato ogni faccenda» (P.A., Summ. 24/7), ast in novissimo vadimonio coram Ponente reddito prorsus alia refert, autumans se numquam audivisse mulierem loqui contra bonum sacramenti: «Lucia non parlò mai con me in favore del divorzio in generale; al momento non ricordo se Lucia abbia ipotizzato il divorzio per il nostro matrimonio» (P.A., Summ. 145/13).

Actoris propinqui referunt conventam mentem pro divortio patefecisse: «nei frequenti dissapori io la richiamai dicendo che se succedeva così prima del matrimonio cosa sarebbe successo durante il matrimonio: lei rispose: “non mi importa perché tanto c'è il divorzio”» (F., pater actoris, Summ. 38/9); «Una volta che lei rispose male a Marco [...] io le feci notare che non stava bene [...] lei non rispose, però ricordo che in un'altra circostanza precedente aveva detto: “tanto c'è il divorzio”» (G., mater actoris, Summ. 45-46/12); «Una volta prima del matrimonio [...] il discorso andò sul matrimonio e sulla riuscita

del matrimonio lei disse che se le cose andavano male non se ne preoccupava perché c'era il divorzio» (H., Summ. 51/12); agitur vero de locutionibus prorsus vagis, quibus puella utebatur fortasse ad suam libertatem servandam a viri propinquorum immissionibus, ac per se nullatenus illa verba sufficiunt ad actum voluntatis positivum probandum contra bonum sacramenti, quia ex illis solummodo intentio habitualis vel placita generica patefiunt.

Quamvis dubium de felici exitu connubii mulier senserat, attamen ipsa sperabat consuetudinem aequo animo ductam fore, ac proinde nulla causa proxima simulandi sponsae erat: «La convivenza non fu mai pacifica, neppure per un momento. Prima di sposare io lo prevedevo ma mi assicurava il fatto che Marco mi diceva che mi voleva bene e speravo che le previsioni non si avverassero» (P.C., Summ. 89/18).

Testis ex officio excussus, Rev. C., refert: «[...] non ha mai accettato di essere accusata di aver esclusa indissolubilità e la prole» (Summ. 77/23).

Mulier etiam iterum fassa est se prolem a connubio nullatenus exclusivisse; in sessione pro litis contestatione enim patefecit «di non aver avuto riserve [...] nella prole» (Summ. 16) et in vadimonio iam elata plane ac clare firmavit: «È assolutamente falso che io abbia fatto delle riserve contro [...] la prole» (P.C., Summ. 88/14).

Conventa tandem autumat exercitium iuris ad actus per se aptos ad prolis generationem semper servatum esse: «Usammo bene del matrimonio anche se non ci fu gravidanza. D'altra parte la convivenza durò solo quaranta giorni» (P.C., Summ. 90/19).

In suo primo vadimonio actor exclusionem prolis ex parte mulieris patefacere haud valuit, et immo

consilium mulieris pro prole generanda agnoscit: «quanto ai figli, mi tacitava, dicendomi che, eventualmente fossero venuti, avremmo dovuto tutti e due dedicarci alle loro cure in ogni cosa» (P.A., Summ. 24/8); ipse tantum conventae celeritatem ad seipsam abluendum, statim ac actus coniugalis positus erat, inspexerat: «Quando si concedeva, voleva che il rapporto fosse sbrigativo e, avutolo, scappava subito al bagno per farsi dei lavaggi, onde evitare il concepimento. Questo è stato un metodo costante» (P.A., Summ. 50/10).

In nostro iudicii gradu vir, quamvis de mulieris cura in seipsam lavandi post intimitatem sexualem (cf. P.A., Summ. 146/20 et 147/23) denuo locutus est, tamen tantum Luciae intentionem sobolem procrastinandi ad lucem tulit: «Prima del matrimonio Lucia mi diceva che era sua intenzione aspettare alcuni anni prima di avere un bambino [...] Lucia non mi ha mai detto i motivi per cui voleva aspettare prima di avere un bambino ne ha dichiarato condizioni particolari, ne ha stabilito dei tempi» (P.A., 144-145/11), et immo quid addit ex quo patet mulierem ante nuptias numquam, etiam illius ratione habita sese gerendi in intimitate, bonum prolis respuisse a futuro coniugio: «[...] ci sono state intimità prematrimoniali fatte certamente con amore [...]. Lucia non ha mai espresso preoccupazioni di restare incinta» (P.A., Summ. 144/10).

Testes auxilium pro exclusionem boni prolis ex parte mulieris afferre nequaquam valent. Actoris pater enim tantum post nuptias de Luciae intentione a filio certior factus est, sed causam simulandi prorsus ignorat et ultra actoris elata procedit, cum iste tempore sponsalicio numquam recepisset intentionem sponsae contra generationem prolis: «Mio figlio mi

disse dopo il matrimonio e prima di iniziare questa causa che Lucia prima del matrimonio gli diceva che non voleva figli. Non so il perché» (F., Summ. 64/13); etiam testis N., matrimonio iam inito, ab actore notitias suscepit quoad mulieris sobolis recusationem: «[...] ho saputo dal marito dopo il matrimonio che la moglie non voleva i figli fin da prima del matrimonio [...] il marito di ritorno dal viaggio di nozze mi disse che la moglie non li voleva e non si concedeva pienamente nei rapporti intimi e stava attenta a non avere figli e ricorreva anche a lavaggi antifecondativi» (Summ. 56/13, 57/19).

Mulieris ratio sese gerendi post actum coniugalem per se tantum haud rectum usum coniugii ostendit, et solummodo una cum aliis indiciis firme probatis ad actum positivum voluntatis contra bonum prolis remittere potest.

Alii testes vel referunt locutiones prorsus vagas aut notitias tantum serotinas quoad sobolem procrastinandam hauserunt; mater actoris enim contendit conventam fastidium contra filios gignendos plerumque ostendisse: «Lei stessa mi diceva abitualmente: “A che servono i figli? Danno solo fastidio, uno deve godersi la vita e da sposata non li voglio avere”» (G., Summ. 46/13); Luciae aversionem erga pueros animadvertit frater actoris: «ho sempre notato in Lucia una avversione per i bambini perché da fidanzata mai ha preso in braccio o giocato con mio figlio piccolo e se il marito prendeva il piccolo in braccio lei lo prendeva in giro» (O., Summ. 52/19); testis P. ex auditu scivit conventae fuisse intentionem prolis generationem procrastinandi: «Mia moglie mi disse che aveva saputo da Lucia che, almeno per i primi tempi, lei non voleva figli» (Summ. 65/13).

Testes proinde, quippe qui ultra viri asseverationes de bono prolis excluso nonnumquam procedant, solummodo voluntatem interpretativam assecuti sunt, et ipsi una cum actore facta plura, certa, univoca adducere haud valent, ex quibus mulieris voluntas simulandi probari possit.

Iure meritoque proinde iudices primi gradus decreverant: «L'atto di volontà attribuito alla convenuta di esclusione dell'indissolubilità e della prole dal matrimonio, negli atti istruttori non trova elementi [...] probanti [...]. Gli stretti familiari (padre, madre, fratello) risultano coalizzati nell'attribuire alla Convenuta il proposito di voler ricorrere al divorzio, qualora fosse fallito il matrimonio, e di non volere figli. Tutti gli altri [...] o lo negano o non sanno nulla [...]. L'Attore smentisce platealmente se stesso [...] Il padre dell'Attore [...] la madre [...] e il fratello [...] presumono di saperne più della direttamente interessata, e le attribuiscono quello che essa nega categoricamente. Ragion per cui [...] non resta che ritenere l'esclusione sia dell'indissolubilità che della prole una pretestuosa invenzione concordata dalla parte attrice, una traballante incastellatura che abbiamo visto crollare rovinosamente al solo confronto con la coerente posizione della parte convenuta» (Summ. 130-131, 133).

DE DEFECTU FORMAE CANONICAE

10 - Matrimonium celebratum est in basilica Z., intra fines paroeciae Y. in oppido v.d. B., in dioecesi D., coram Rev.do C., mulieris consobrina, qui una cum invitatis in ecclesiam pervenit ubi alter sacerdos ex congregatione S. debebat, munitus quidem facul-

tate assistendi matrimonio Marci et Luciae, quam receperat a parocho, tunc absente.

Statim ac in ecclesiam Rev.dus C. ingressus est, alter sacerdos, ad nuptias delegatus, confestim exivit ecclesiamque reliquit, quia ab onere celebrandi matrimonium prorsus sublatum se habuit, putans se concedere rem omnino acceptam tum Rev.do C. tum sponsis, muneri suo abrenuntiando.

Ex actis productis patet quod matrimonio astiterat Rev.dus C., delegatus a Parocho paroeciae Y.; exemplar actus originalis matrimonii enim refert: «Oggi [...] alle ore 12.30 dinanzi a me Sac. Don C., delegato per questo atto dal Parroco di Y. nella detta Chiesa Parrocchiale (Basilica Z.)» (Summ. 11), et Rev.dus C. se subsignavit prout delegatum (cf. Summ. 174).

In statu documentorum, quae coram Curia D. producta erant pro licentia Ordinarii obtinenda, adest adnotatio delegationis a Rev.do T. datae Rev.do C. eadem die celebrationis matrimonii (cf. Summ. 178); attamen nescitur an huiusmodi delegatio praebita fuisset ante vel post nuptias, cum 8 diebus ante nuptias, scilicet tempore in quo status documentorum coram Curia D. productus erat, Rev.dus T. nesciebat quinam futuras esset presbyter matrimonio assistens.

Testes autem, in primo gradu excussi, sponte sua de inopinato intercurso Rev.di C. notitiam praebuerunt, cum iam ad nuptiis assistendum paratus erat quidam presbyter congregationis S.

Candide pater actoris refert quod, consuetudine iugali iam fracta, ipse Rev. C. de celebratione matrimonii loquens circumstantiam valde gravem recolit: «venne da me, di nascosto della zia (che è la mamma di Lucia), perché voleva sapere la verità di

un fatto e cioè che quando venne a B., invitato dagli zii per benedire le nozze, trovo in Chiesa un sacerdote di S. che si stava preparando per lo stesso rito e che gli disse di essere stato invitato dalla sposa un mese prima e, vista la presenza di don C., lui ne fu contento e se ne andò perché aveva da fare» (F., Summ. 41-42/18); eandem circumstantiam refert mater actoris, quamvis ipsa, dissimiliter a suo viro, asseverat tum presbyterum congregationis S. tum Rev.dum C. a sponsa vocatos esse: «[3 mesi dopo le nozze] venne da me don C. cugino di Lucia per dirci che voleva interessarsi per mettere pace [...]. Seppi allora che don C. invitato da Lucia a benedire le nozze (questo a me lo diceva sempre), arrivato in Chiesa trovò pronto anche un sacerdote di S., pure invitato dalla cugina a benedire le nozze [...] Il religioso di S. se ne andò contento perché quel giorno doveva andare a pranzo dal Vescovo» (G., Summ. 48-49/23).

Actor, qui certo certius in re canonica atque in ritibus ecclesiasticis peritus haud est, ac proinde quoad factum celebrationis sui matrimonii prorsus fide gaudere videtur, in nostro iudicii gradu enarrat quod presbyter sodalis Congregationis S., ex Parochi Rev.di T. mandato, nuptiis assistere debebat: «Aveva ricevuto l'incarico di celebrare il nostro matrimonio un sacerdote dell'Istituto S.; era parroco allora di Y. don T., ormai deceduto. Don T. aveva celebrato un altro matrimonio prima del nostro e doveva andare in un'altra parrocchia di cui era anche parroco. Non so dire se lui abbia potuto vedere don C. prima che celebrasse il nostro matrimonio» (P.A., Summ. 148 A.d.r.).

Rev.dus C., testis quidem in iudicio uti qualificatus habendus, quoad adiuncta ritus nuptialis lucem

affert; ipse enim iam in primo vadimonio recolit paratum ad matrimonio assistendum fuisse presbyterum ex Congregatione S.: «Fui io a benedire le nozze. Intervenni perché da tempo mi avevano detto che volevano che io le benedicessi. Però quando arrivai trovai un sacerdote dell'Istituto S. che si apprestava a presiedere la celebrazione. Solo quando seppi che ero cugino della sposa mi cedette il posto ed io, senza fare alcuna questione con i miei zii, accettai la gentilezza che quel sacerdote mi fece» (Rev. C., Summ. 75-76/15), et in nostro iudicii gradu testis candide confessus est se ne ullam quidem delegationem recepisce: «Il parroco non era presente, il sacerdote della Congregazione S. se ne è andato prima della messa ed io non mi sono posto il problema della delega, imbarazzato per la situazione creatasi» (Rev. C., Summ. 157/6).

Certo certius Parochus solummodo presbytero ex Congregatione S. delegationem concessit; nam irrationale haberi debet incommodum presbytero ad alia officia incumbenti ferre, si presbyter a sponsa vocatus nuptiis expedite astabat.

Delegatione generali presbyter ex Congregatione S. minime gavisus esse videtur, cum vicarius cooperator paroeciae sub iurisdictione Rev.di T. nullatenus videretur; nam ex notitiis cum sedulitate ab Exc. mo Episcopo D. anno 2001 latis, haud constat quemdam sodalem illius Congregationis in illo tempore officium vicarii paroecialis in qualibet paroecia Dioeceseos D. recepisce (cf. Summ. 162).

Ex lege canonica sub cuius imperio matrimonium in casu celebratum est, solummodo vicarii cooperatoris delegatio generalis pro assistendis matrimoniis concedi poterat (cf. can. 1096 §1 CIC *piani-benedictini*), et quidem potestas iurisdictionis de-

legata subdelegari poterat tantummodo ex concessione expresse facta (cf. can. 199 §4 CIC piani-benedictini); probatio vero quod nulla delegatio generalis presbytero ex Congregatione S. data erat eminet ex annotatione scripta a Rev. T., attestante eundem Rev. um T. «delegava a celebrare il presente matrimonio il Sac. don C.» (Summ. 178), sed hoc, nuptiis iam celebratis evenit, cum ipse Rev. C. fassus est se ne ullam quidem delegationem postulavisse nec recepisse (cf. Summ. 157), saltem telephonio utendo.

In casu error communis nullatenus haberi potuisset, cum ipsius fundamentum aberat; nam Rev. C., alii Dioecesi ascriptus (cf. Summ. 157), nullum munus in paroecia Y. gerebat; simplex titulus sponsae propinqui quamlibet efficaciam praebere nequit pro errore communi efformando.

Tandem patet ex confessione iudiciali Rev.di C. nullum quidem dubium vel iuris vel facti quoad facultatem assistendi matrimonio Marci ac testis qualificati consobrinae illum perturbavisse, ita ut hoc sufficeret ad potestatem suppletam eidem afferendam.

Rev.dus C. proinde matrimonio adstitit nulla praeditus facultate, scripta aut verbali, ne tacita quidem, quia parochus, absens, alium sacerdotem delegaverat, nullatenus facultate generali fruentem, et ille parochus praesentiam Rev.di C. prorsus ignorabat, nec adiuncta necessaria pro potestate suppleta affuerunt.

11 - Quibus omnibus tum in iure tum in facto perpensis, Nos infrascripti Patres Auditores de Turno, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, declaramus, decernimus et definitive sententiamus, ad proposita dubia respondentes:

NEGATIVE AD PRIMUM,
NEGATIVE AD SECUNDUM,
AFFIRMATIVE AD TERTIUM,

IDEO CONSTARE DE NULLITATE MATRIMONII,
IN CASU, DUMTAXAT OB DEFECTUM
FORMAE CANONICAE,
TAMQUAM IN PRIMO IUDICII GRADU.

Ita pronuntiamus, mandantes locorum Ordinariis
et Tribunalium Administris, ut hanc Nostram defini-
tivam sententiam notificent omnibus quorum inter-
sit, et executioni tradant ad omnes iuris effectus.

Romae, in sede Romanae Rotae Tribunalis, 2003.
IORDANUS CABERLETTI, Ponens
GREGORIUS ERLEBACH
IOSEPHUS SCIACCA

Cum haec sententia, quae primum matrimonii
nullitatem declaravit, ad appellationis Turnum sit
transmittenda (can. 1682 §1), executioni tradi ne-
quit, i.e. ius partibus non competit novas contrahendi
nuptias (can. 1684 §1).

Ex Cancellaria Rotae Romanae Tribunalis, die
M. Xaverius Leo Arokiaaraj, Not.